



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-26.*

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.



95.



Συμ Θεω  
DISPUTATIONUM  
ETHICARUM.

I.

De

ETHICES DEFINITIONE ET NA-

TURA,

*In Inclytâ Wittebergensi Academia  
proposita*

PRÆSIDE

M. NICOLAO HUNNIO  
Marpurgensi: Fac. Phil. Adjuncto,

RESPONDENTE

WOLFGANGO TSCHÄTERO  
Posoniensi Pannonio.

WITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Iohannis Garmanni, Anno 1610.



me, fan.  
n scribē.  
nultum  
ris tua  
s decla-  
tis, tum  
um jam  
b animo  
potuit.  
oc ex illo  
perrime

unnius



Etiam est prudentia ad idem dominum in  
informant ut in hoc parte et in  
et aliter possit.

Etiam est prudentia ad idem dominum in  
informant ut in hoc parte et in  
et aliter possit.

E  
info  
tran



Sic ve  
alluetu  
Etam c  
gnifica  
comple  
ca & Po  
tu, qu  
(in quo  
fuit,  
II. G  
scum n  
multas  
non ob  
les, ali  
est prop  
palibus  
cant. B  
Non ill





I.

*Ethica est prudentia actiones hominis ita informans, ut is bene beateque vitam civilem transigere possit.*

I.



Ntequam ad rem ipsam descendamus, è re est, Ethicæ denominationem paucis prælibare, cum nihil magis, Plautino verbo, conducibile, quàm nominū explorata significatio. Ethicā igitur ἀθικὴν ἀπὸ τῆς ἐθίξεσθαι ab assuescendo Aristoteles, l. 1. *Mag. Mor. c. 6.* sive ἀπὸ τῆς ἠθίξεσθαι vel ἠθίξεσθαι à moribus (quod mores illi propriè dicantur, qui assuetudine comparantur. *Piccolom. in introd. ad Moral. Philos.*) dictam credimus. Sumimus autem hoc loco Ethicam in illa significatione, qua, non univèrsus totius practicæ Philosophiæ est complexus, sed ut à reliquis disciplinis operatricibus, Oeconomica & Politicā distincta, specialem constituit, eamque non eo respectu, quo specialiter talem vel talem, sed in genere bonum virum (in quocunq; statu is sit constitutus) virtute imbuendum perficit.

II. Generis loco PRUDENTIAM posuimus, quia non nobiscum nascitur, sed ex igniculis connatis per experientiam, & multas præceptorum moralium exercitationes acquiritur. Hinc non obscurum, eam habitum esse. Habitus autem alij principales, alij instrumentales. Instrumentalem esse negamus, quia non est propter alium habitum. *Zabar. l. 1. de Nat. Log. c. 1.* Ex principalibus igitur unus erit. Sed qualis ille, inter se authores dimicant. Breviter. Ethica aut est habitus theoreticus, aut practicus. Non ille, cui finis sola contemplatio: Ergo hic, cui actio. Inferes;

A 2

Ergo

Ergo sine theoriâ disciplina ista. Non est. Etenim practica disciplina, non quod præcedentem quandam theoriam neget, sed quod in eadem nequaquam acquiescat, hoc nomine venit. Quæ admodum enim qui ignem à vicino petit, non illic hæret, sed ablato eo, domi focum suum accendit; ita igniculi illi, per contemplationem accensi & acquisiti ad actionem transferendi. *Lips. in not. polit. p. 461.* Cum præsertim scientia virum bonum non efficiat, teste *Aristotele*, idq; ipsum etiam *Cicerone* probante, qui omnem virtutis laudem in actione positam esse scribit. *l. 1. offic.* Nec ille (inquit *Sallust. in Catul.*) Romanorum optimus, qui scire & dicere malebat, sed qui facere. Constat itaque & manet, Ethicam actualem esse; Ergo vel Ars, vel prudentia.

III. Artem non esse probamus hoc modo. Ars duplici modo consideranda venit; (generalem illam artis notationem, quâ omnes disciplinæ Philosophicæ, Artes Liberales dicuntur, non moramur) aut pro habitu sumitur *μετὰ λόγῳ ποιητικῶν*, qualem *Aristoteles 6. Ethic. c. 4.* definivit, aut pro systemate præceptorum, ex *Luciani* sive *Quintiliani l. 2. Instit. orat. c. 12.* definitione. Posteriore hac acceptione, Ethica nequaquam Ars dici poterit: Sic enim 1. omnes scientiæ artes essent, constantes quippe præceptis in vita utilibus. 2. Ethica esset systema præceptorum moralium, cum tamē neq; sit præceptorum systema, neq; ipsamet præcepta, verum ex crebra præceptorū usurpatione & exercitatione efflorescens aliquis habitus. Ut facilè constet, Ethicam propriè dictam, nullâ omninò ratione artem, dicto sensu, nuncupari posse. Priori itidem non poterit, quia *Aristoteles 6. Eth. c. 4. & 5.* ferè religiosè distinguit inter *πράττειν* & *ποιεῖν. ἕτερον δὲ ἐστὶ πόνησις καὶ πράξις;* adeoque, ut etiam planè aliud faciat id, per quod *πράττομεν* h. e. aliquid agimus, ab illo, per quod *ποιῶμεν* h. e. aliquid facimus. Neque enim actio effectio est, neq; effectio actio *Aristoteles l. d.* Ita quoque aliud est *ἡ πράξις*, & aliud *πόνησις*. Illam, actionem evanescentem dicimus, quæ non in esse fixo, sed tantum fluente consistit, ut victoria, stratagema bellicum, litis decisio &c. Hanc, effectum, durans firmum fixumq; *εἶναι*, etiam operâ artificis cessante, obtinentem: cujusmodi calceum dixeris, domum, statuam &c: *πράξις* itaque in actione consistit, & hoc prudentiæ, itemq;

itemq; Ethices: *ποίησις* ulterius progrediens, nisi post actionem suam *ποίημα* quoddam seu materiatum effectum relinquat, non acquiescit, quod artium est, non Ethices. Ergo Ethica prudentia, non ars.

IV. Ex quibus spontè genus Ethicæ *prudentiam* esse sequitur. Quod vel hinc etiam confirmatur: quia objectum prudentiæ est τὸ *πρακτικόν* agibile, ( ut & Ethices ) non τὸ *ποιητικόν* effectibile, in materiâ quadam Physicæ operationes suas expediens, effectumq; relinquens. Concluditur ergo Ethicam prudentiam esse, 1. ex definitione, quia est habitus cum rectâ ratione activus, 2. à fine, quia prudentiæ finis actio. 3. Quia circa agibilia versatur. Hęc de genere.

V. Differentia in definitione Ethices posita, bimembris est, quorum 1. desumptum ex fine propinquo, est, *actiones hominis informate*. De varijs actionum usurpationibus, nullam hic movebimus item; videatur *Danaus in Eth. Christiana p. 10.* De re modò constat, nos *hominis actionem* non tam illam intelligere, quæ nobis cum brutis communis, quàm eam, quæ propriè hominis est; quatenus, animal rationale & à reliquis creatarum rerum generibus differens; h. e. omnes ad unam actiones, tam animales, quàm rationales, sive τὸ *λογικόν* sive *θυμικόν*, sive *ἐπιθυμητικόν* fontem & originem habeant.

VI. Actiones istæ vel *θεωρίας* vel *πράξεως* rationem obtinent. De utrisq; agit Ethica. Intellectum quidem virtutis habitu imbuendo, qui tum suas proprias actiones ad præceptorū normam instituit; tum consequenter facultates inferiores sub sui obsequium cogit, ut & ipsæ, non nisi ad legum præscripta operentur. Nascitur verò habitus ex crebriore præceptorum Ethicorum usu, & *πράξει*, quæ, cum ab intellectu percepta fuerint, haud aliter, atque auriga equos secundum præcepta currere, intraq; semitas eorundem sese continere docet.

VII. At: quomodo actiones quasdam dicimus *τῆς θεωρίας*, cum vel ipsa vis vocis indicet, omnem actionem esse practicam? Verùm, practicum dupliciter dicitur; *generatum* omne, quicquid sub actionis categoriam cadit; & *speciatim* ea solùm, quam transeuntē vocant, quæ nimirū in subjectū transit ab agente diversum. Quod si jam *πράξις* priore sensu capiatur, habitum quoque spe-

culativorum actiones comprehendit, ut facile patet. Atque hæc tractat Ethica I. ostendendo, quinam illi sint? 2. Eos *θεωρίαν* tanquam summum bonum speculativum consequi. Habitus tamen speculativos istos non pertractat, quia praxin strictæ significationis primò respicit.

VIII. Alterum differentia membrum ex fine ultimo deductum est, *benè beateq; civilem vitam transigere*. Differt ergo Ethica ab Oeconomica & Politicâ, tanquam generale à speciali. Ethica enim specialiter sic dicta circa mores generaliter versatur, eosq; omnes, qui ad omnia vitæ genera accomodari possunt: quò respiciens *Philosophus l. I. mag. mor.* Ethicam partem ac principium scientiæ civilis dicit: Politicâ postmodum specialiter sibi ea applicat, ut civem; Oeconomica ut patrèfamilias bonum efficiat.

IX. Sed ut de fine plura dicamus, est ille, Politicus, hoc est, civilis & externus, non Theologicus, felicitas nempe, quæ in hac vita homini obtingere potest. Istam autem dupliciter nos posse considerare putamus. Uno modo, si dixerimus, diversam esse ab eâ, quæ in Theologicis tractatur: altero, diversam quidem, sed non adversam. I. Prius illud quid ni verum? Probamus. Quarum disciplinarum practicarum fines distincti, eæ ipsæ sunt distinctæ, Harum autem Theologiæ & Ethices distinctos esse fines liquet, quia Theologiæ finis, bonum gratiæ, Ethices, morale. Hoc, felicitatis mundanæ, illud, æternæ salutis fruitio. Ergo, Cùm verò & in hoc seculo aliquam felicitatem percipiat homo (Theologicam) conscientia tranquillitatem, Dei cognitionem, S. Angelorum consortium, sui ipsius inchoatam restitutionem, non ullis opus est verbis, quibus hæc etiam Theologica à civili beatitudine (cui isthæc penitus ignota) differat, utpote quæ non nisi ad proximum sese accomodat. 2. Diversa igitur, sed non adversa. Probamus & hoc. Tota autem veritas & quæstionis divisio inde dependet, ut Ethicam Theologiæ non repugnare demonstreretur. Non repugnare tribus rationibus asserimus. 1. Quia Deus, ut causa discriminis honesti & turpis apud Ethicos, ita quoque hinc resultantis Ethicæ causa existit. 2. Quia est donum Dei; Dona autem Dei inter se non pugnant. Nihil enim per se causa contrariorum, nec Deus dissidiorum,





diorum, quin concordia potius auctor censetur. Ideoque donis Dei, hujus etiam qualiscunque externæ probitatis, morumq; integritatis, in extrema hominis-omnium, conservatio, merito connumeratur. 3. Quia bonum bono non repugnat, sed perpetuò concordat. At bona Ethica, ea enim tractat, quæ ad pravos affectus, etsi non sanandos, mitigandos tamen conducere videntur. *Piccol. in Intrat. Phil. mor. c. 1.* Ethicam ergo, concludamus, Theologiæ nequaquam adversam esse, & consequenter neque repugnare.

## II.

*Subiectum Ethices est homo beandus, quatenus talis.*

I. Ad subiectum cognoscendum præmitti oportet, cum disciplina practica sub manibus nobis versetur, quæstionem non institui de subiecto scientiæ, seu demonstrationis, sed practico sine operationis. Deinde cum subiectum nonnunquam id dicatur, cui res inhæret, & inhærentis, sive ὑπαρξέως subiectum appellitur, itidem præmittimus, nullam h. l. rem fore de hoc, quod Ethica mentem seu intellectum agnoscit, sed unice de illo, in quo elaborando est occupata.

II. Est verò operatio Ethices duplex. Una interna, altera externa. Internam dicimus, qua habitus Ethicus suum inhærentis subiectum afficit, inque illud operatur; haud aliter, atque gravitas in lapidem operatur, eumque tum gravem esse, tum deorsum moveri facit. Quo in sensu Ethicæ subiectum ut determinemus, distinguendum erit, inter subiectum ut quod, & ut quo. Hoc intellectus est, ut supra fuit dictum: illud homo, cui per intellectum virtutes, ipsaq; Ethica insunt. Sic ergo utrumq; officium idem homo, idemq; intellectus sustinet, ut tum subsistentiam largiatur Ethicæ, tum eidem, tanquam internum operationis subiectum substernatur; haud aliter, atque Medicus se ipsum sanans, tam operationis, quam subsistentiæ subiectum semet Medicinæ præbet. Modus hoc subiectum tractandi exprimitur hoc termino: *quatenus beandus*, hoc est, quatenus & bono privatus est, & eidem recipiendo aptus. Unde constat.

stat, 1. tūm finem, tūm Subiectum Ethices practicū esse. 2. Be-  
atum tunc effici, quando unum per virtutum actiones, ut in se-  
quentibus patebit, in subiectum conveniens introductum fue-  
rit.

III. Additum ephitheton, *beatitudinis*, duo infert, 1. *εὐδαιμονίας*, beatitudinis negationem seu boni, in homine Ethica informando. 2. *διάρθεσι*, habitudinem seu dispositionem ad boni receptionem. Quæ dispositio utramque facultatem rationalem postulat, intellectum puta & voluntatem: appetitum itidem cum affectibus suis in ordinem redigendam, & ad bonos actus determinabilem & reducibilem.

IV. Externa virtutum potius est, quàm Ethices. Nam singulæ virtutes singula habent subiecta externa, in quæ agant. Ita tamque liberalitas circa opes: fortitudo circa formidabilia &c. est occupata. Quæ enim jam ergo Ethica ab omnium virtutum habitibus non dit. ;, hæctenus externum operationis subiectum agnoscit. totum omnium virtutum subiectorum complexum, qui aliàs uno synonymo termino comprehendi nequit.

### III.

*Finis Ethica propinquus est, instruere intellectum, quomodo is appetitum possit, ac debeat regere. Remotus seu ultimus, hominem beare civiliter.*

I. Unius rei multi possunt esse fines, subordinati scilicet, vel sanè accidentarij. Vicissim, unius rei finis est unicus primarius & internus. Ita & hic multi sunt accidentarij. Et sanè, Physicā per hoc studiū multū illustrari, arbitramur, dubitare neminem. Jctum futurū cognitione hac carere posse, affirmare nonnullis placet. Nos in diversam sententiam abimus. Quia principia sunt præcognoscenda. His enim ignoratis, non potest res benè cognosci *Zabar. l. 1. de constit. scient. nat. c. 16.* Atqui Ethica tractat de virtutibus in genere & specie, de justitia distributiva & commutativa, jure natura,

euræ,  
Jctum  
p. 58. d  
Philos  
princip  
th 24  
Ethice  
nat, ubi  
nus Me  
ita nec  
Zabar.  
II. S  
nostrum  
& Rem  
Varijs  
ram su  
ut cum  
Kirchn.  
do hi re  
perficer  
sidio eff  
nostras  
architec  
nobis fir  
III. E  
tam virt  
rationib  
At per l  
vatus, se  
tum adn  
est capax  
& bruta  
& appeti  
dum.  
ans, Cu  
IV. S

tura, principijs actionum humanarum, sine quibus **Jctus**, an  
**Jctus** sit, affirmet qui velit. Nos cum *Vult. in præf. utriusq. Rom.*  
*p. 58.* dicimus: *Sine quibus I V S fatâ commodè disci nequit*, omnes sunt  
Philosophiæ partes, cum primis autem *Ethica*, quæ juris quædam  
principia proponit: & cum *Herm. Kirchn in synop. Philos. moral.*  
*lib. 24.* Ille, arbitramur, inquit, neminem in studio Juris absque  
Ethices cognitione feliciter progredi posse. Ut tritum illud so-  
nat, ubi desinit Ethicus, ibi incipit **Jctus**. Rectè. Sicut enim bo-  
nus Medicus esse non potest, qui non sit Philosophus naturalis,  
ita nec bonus legislator, qui non calleat moralem Philosophiam.  
*Zabar. d. l. c. 33. p. 101.*

II. Sed nos ex diverticulo in viam revertamur, ut theorema  
nostrum planius plerûq; explicetur; Duo nobis fines: Propinquus  
& Remotus. De priore prius. Illû dicimus, instruere intellectum.  
Varijs namq; affectuum & cupiditatum generibus hominis natu-  
ram subjectam esse, clarius est, quàm solis radij, cum sudum est,  
ut cum *Plauto* loquamur, Occurrendum itaque internis hostibus  
*Kirchn. in synop. Philosophiæ moral.* & sedulò prospiciendum, quomo-  
do hi regi atque inhiberi possint. Quod cum *Ethica* attentare &  
perficere conetur, idque verò nullo alio, quàm intellectus sub-  
sidio efficere possit, necessariò illum instruere debet, si actiones  
nostras virtuti congruentes esse volumus. Quemadmodum enim  
architectis nullum opus processerit sine libellâ & lineâ, non item  
nobis sine hoc rectore & directore. *Lips. 1. Polit. 7.*

III. Ex qua assertionem quæstio illa ventilanda venit: *An nimi-  
rum virtutes sint in appetitu vel intellectu?* Nos posterius amplectimur,  
rationibus sequentibus 1. quia loco affecto medicina applicanda.  
At per lapsum non solum intellectus pariter & appetitus depra-  
vatus, sed etiam intellectus dominium amisit, ut cum citra virtu-  
tum adminiculum domare profusus nequeat. 2. quia appetitus non  
est capax virtutum, ut in brutis cernitur. Si est capax, utique  
& bruta virtutis forent capacia: habent enim & illa phantasmam  
& appetitum ac consequenter rationalia erunt. Sed hoc absur-  
dum. Melius ergò parti illi attribuere, quâ à brutis separati su-  
mus. Cum autem hoc sit intellectus, huic utique inerunt.

IV. Sed hoc jam planum: Illud nondum, quomodo & quo

B

fine

sine hoc fiat. De utrisque, tribus quod ajunt verbis. De illo;  
dicimus, imprimendo scil. intellectui virtutes, ceu organa quæ-  
dam & media, ad appetitum cernendum. Sicut enim intelligit,  
sic etiam intellectionis quasi anas in se ipso habere & possidere  
debet. *Sagitt. exerc. 6. p. 137.* De hoc, ut affectus corrigat, non ta-  
men evellat, ut naturæ hostes faciant. Sunt enim non omnes ma-  
li, sed dati à natura, ut sint calcaria & incitamenta ad bene vi-  
vendum. *Kirchn. in synop. Phil. moral. th. 20.* Intellectus ergo ita na-  
tus aptus ad hujusmodi informationem, per facultates suas supe-  
riores sive racionales, imperium & dominium exercet in inferio-  
res, sive animales, quod sine pugna & lucta fieri nequit. Quan-  
doquidem enim homo, quatenus animal, cum bestiis naturam  
sensitivam habet communem, eamque post lapsum ad mala in-  
clinatam, quatenus vero homo, naturam intellectivam sibi pro-  
priam, & in ea amissæ divinæ imaginis vestigia sibi impressa, ad  
bonum ducentia retinet; illo respectu naturaliter in bonum sen-  
sibile & jucundum rapitur; hoc, in honestum & utile. Dum er-  
go homo instinctu naturæ intellectivæ id cupit, quod honestum,  
& utile, partim lex divina, partim natura ipsi dicitur: vicissim  
verò natura sensitiva bonum sensuale & suave persequitur, fit ut  
pugna inde, & ingens conflictus exoriat, & tam diu etiam per-  
severet, donec homo paulatim, virtutum intellectualium & mo-  
ralium institutione imbutus, naturam hanc sensitivam qualiter-  
cunque coercere, sicq; dominio suo subicere discat. Atque hic  
finis Ethices propinquus.

V. *Remotus; hominem beate civiliter.* Dum enim intellectus dili-  
genti hac & assidua doctrinâ quasi perpolitur & præparatur, ha-  
bitum sibi tandem acquirit necesse est, ex quo *eudamonia* illa e-  
mergit, ut nimirum honestum attingamus, summoque bono ci-  
vili, fruamur. Quale autem illud, & quid sit, *σωτηριον* in subse-  
quentibus fusiùs tractabitur.

#### IV.

*Ethica homine Christiano nec indigna est,  
nec eidem inutilis.*

I. Quam-

I. Quamvis Ethica nostra differre videatur à lege morali in eo, quod hæc amplius quid à nobis postulet (durissima enim vox est, diliges Dominum tuum ex toto corde tuo &c. cui perfecte satisfecit hominum nemo): illa verò externa saltem opera, quæ à justitia & sanctitate illa, quam lex requirit, longissime absunt, conformare conetur: tamen cur eam penitus damnemus, eique nigrum & præfigamus, nondum satis perspicere potuimus. Si enim indigna est, indignum etiam erit morum & honestatis exercitium. Quod si hoc, (cum Keckerman. dicamus) consequens est, omnem rusticitatem & barbariem, imò omne genus flagitiorum, quibus turbatur hæc humana societas, digna esse, quæ usque in cælum extollantur. Atqui absurdum hoc absurdissimum. Exempla contrarium testantur. Innotuit Scipionis Africani continentia; memorabilis est Attilij Reguli constantia; in admiratione Hannibalis, Pompeij & aliorum invicta fortitudo; in ore denique omnium Aristides, Cæsares, quorum omnium testificatione & exemplo, externam hanc disciplinam Deus comprobare voluit. Ergò Ethica Christiano indigna non est.

II. Sed nec inutilis. Lex scripta in cordibus Ethnicorum memoratur Rom. 2. v. 15. Quid hoc sit exactè docet Ethica. Singula namque decalogi præcepta si contuearis, eorundem moralia Ethnicorum præcepta ipsis singulis exactè respondentia invenies: ut diffiteri nequeas, legem divinam, quatenus cum primis tabulam concernit posteriorem, per Ethicam doctrinam ex cordibus infidelium quasi prodire, atque uberrimè profluere. Deinde: clarè ostendit, quæ, quantave sit hominis post lapsum perfectio; quousque vestigia imaginis Dei adhuc in corruptâ naturâ residua divinæ voluntati hominem conformari sinant. Insuper humanæ naturæ corruptionem hoc ipso Ethnici quoque homines testati fuere, dum illam certis præceptis & legibus in officio non nihil continendam censuerunt, siquidem effreni alias ducatur libidine, & ad vitia quævis præceptis ruat. Triplicem ergò cum præstet Christiano usum, ut interim de morum conformatione, summoque civili bono nihil dicamus; quid ni Ethicam Christiano homini vel maximè utilem censeremus?

*Ordo in Ethicâ tractatione observandus  
est analyticus non syntheticus.*

I. Ordinem in disciplinis observandum facit *Zabar. de meth. i. 6.* duplicem ( unum *syntheticum*, quo disciplinæ contemplatives ita disponuntur, ut à principijs rerum ad principiata, & à simplicibus ad composita, hoc est, à nobis notioribus, ad nobis ignotiora descendentes, quantum fieri potest facillimè scientiam adipiscantur: alterum, *analyticum*, quo disciplinæ practicæ ita sunt dispositæ, ut à cognitione finis ad principia, hoc est, media, per quæ finis ille acquiritur, procedendo, disciplina practica addiscatur. Illonè vel isto in Ethicis progredi debeamus. *Zabar. & Piccolom.* inter se digladiantur. Nos cum *Zabar.* in castra Aristotelis, statim in ipso vestibulo *Ethic. Nicom.* de felicitate tanquam ultimo fine, postmodum virtutibus tanquam medijs, tractantibus decedentes, dicimus, Ethicam resolutivo ordine tradi debere, manifestis ducti argumentis.

II. Prius; quia ordo à nostrâ cognitione est desumendus, pro ut nos facilius discimus, unde & *Aristoteles 6. polit. c. 1.* non à naturâ, sed à nostrâ cognitione methodi regulâ desumit. *Arnis. in Polit. p. 7.* Cognoscimus autem facilius à noto ad minus notum procedendo. Jam verò Ethicæ finis notus, media non itidem. Ab illo ergo auspicabimur, non ab istis. Consultatio quippe omnis suscipitur ob finem propositum *Aristotel. 3. Eth. Nicomach. 3.* & à fine cietur agens ad agendum *Scalig. exercit. 177. sect. 5.* Sed de hac re audiamus pulchrè differentem *Senecam epist. 71.* Nemo, inquit, quamvis paratos habeat colores, similitudinem reddit, nisi jam constet, quid velit pingere. Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de toto nemo deliberat. Scire debet, quid petat ille, qui sagittam vult mittere, & tunc dirigere, & moderari manu telum. Errant consilia nostra, quia non habent, quò dirigantur. Ignoranti, quem portum petat, nullus suus ventus est: nimirum perinde est de medijs disputare sine præsupposito fine, atque ventis vela dare ad nullum directâ portum. *Hæc ille.*

ille. Pr  
quæ di  
qui eni  
loqui o  
III.  
noscat  
potest.  
propof  
luptuo  
elegerit  
in med  
tione f  
Zabar.  
medio  
tractar  
bemus  
media  
tractar  
conver

I. Eth  
A fine i  
quæ pri  
hunc sc  
illum fi  
reddim  
rem æg  
plures i  
tum im  
queat. S  
ta stabi  
memb  
necess. 6.

ille. Proinde à fine, tanquam notiori Ethica sibi sumet initium; quæ dispositio non nisi ad ordinem analyticum quadrabit. Loqui enim de notione finis, quæ totius disciplinæ principium, est, loqui de ordine solutivo *Zabar. l. 1. apolog. c. 6. p. 26.*

III. Posterius; quia finis media norificat. Nisi enim ille prænoscat, nulla eorum, quæ ad finem ducunt, notitia haberi potest. *Sagitt. in Temp. Virt. p. 25.* Sic Aristoteles finem habet propositum; Epicurus itidem. Ille virtuosam actionem, hic voluptuosam. In eo quidem diversi sunt, quod ille vera, hic falsa elegerit media; in isto minimè, quod uterque ex cognitione finis in mediorum cognitionem pervenire voluerit. Hinc à cognitione finis mediorum cognitionem pendere, non sine ratione *Zabar. asteric. l. 1. apolog. c. 6. p. 23.* Jam subsumamus fine, quo mediorum cognitionem non habemus, illud est priori loco tractandum. Atqui sine fine, mediorum cognitionem non habemus: quia finis est quasi meta & terminus, ad quem omnia media collineant, *Arnis. Polit. c. 1. p. 9.* Ergo de fine priori loco est tractandum; quæ dispositio itidem, ut prior, ordini analytico conveniet.

## VI.

### *Distribuitur Ethica in εὐδαιμονολογίαν & ἀρετολογίαν.*

I. Ethicam in præcedentibus disciplinam practicam fecimus. A fine igitur exordium sumit. Finis hic est εὐδαιμονία politica, quæ primam Ethicæ partem εὐδαιμονολογίαν nobis cõstituit. Sed hunc scire non sufficit, requiruntur itaque & media, quibus ad illum finem deducimur, & per quæ illius felicitatis participes reddimur. Media hæc sunt, Virtutes quæ alteram Ethicæ partem ἀρετολογίαν constituunt. Ita duæ partes erunt, quia neque plures in naturali & essentiali ejus materia. Hæ duæ autem totum implent, quia nihil est, quod non ad harum unam reduci queat. Si implent, utique etiam veritas divisionis nostræ immota stabit. Divisio enim illa est legitima, cum demum, quando membra, totum illud, quod dividitur, implent. *Zabar. l. 1. de prop. necess. c. 5.*

B 3

I. Quid

II. Quid amicitia, quid voluptas inquit? Breviter. Tertiam Ethicæ partem non constituunt 1. quia sunt effectus secundarij, & bonum quidem, sed non summum bonum, licet de integritate ipsius esse non negemus: sicut ad essentiam hominis non pertinet hoc, ut habet, quinque digitos in utraque manu, sed tamen pertinet ad hominis integritatem, ita ut si tantum quatuor digitos habeat non sit integer, sed mutilus homo *Keckerman. in pracog. Ethic. p. 22.* Sicut autem digitus essentialem hominis partem non constituit, ad eam tamen reducitur; sic voluptas & amicitia non partem Ethices essentialem faciunt, ad alteram tamen *εὐδαιμονολογίαν* puta, reducuntur. 2. quia virtutem à posteriore illustrant, At nihil posterius ad essentiam prioris confert. *Sagitt. in Templo Virt.* Sic pauper, sic amicis destitutus, beatè quidem vivere potest, sed non in eâ luce & fulgore, quo is, qui operâ amicorum & consilio, omniumque rerum abundantia instructissimus. Unde *Kecker. in pracog. Ethic. p. 24. ex Cic. l. 1. Acad. quæst.* refert; Academicorum Philosophorum hanc fuisse sententiam, quod in una quidem virtute positam, beatam vitam dixerint, non tamen beatissimam, nisi ad jungerentur & cetera ad virtutis usum pertinentia. Hæc itaque quia essentiam divisionis non ingrediuntur, ab illâ etiam meritò remouentur.

## VI.

### *Juuenis non est idoneus Ethices auditor.*

I. Monuit hoc *Philosophus 1. Ethic. 3.* paucis proinde illud persequi visum fuit. Non autem quaeritur, an *ὁ πᾶς*, puer, sed *ὁ νέος* juvenis Ethicæ auditor idoneus esse queat? Illius enim negativa vel ex eo cognoscitur, tum quòd pueri perfectè non utuntur ratione, ideoque virtutis non capaces: tum quia summi boni negantur participes 1. *Ethic. 10.* tum denique, quòd *ἀπειροί* sunt *τῶν κατὰ βίον πράξεων 1. Ethic. 1.* Juuenis proinde nobis erit, qui jam ex ephebis excessit, & puerilem ætatem superavit.

II. Deinde: distinguendum circa hanc quæstionem inter *νέον τὴν ἡλικίαν*, & *τὸ ἦθος*: Ille *ἀκμαῖος* dicitur, qui in vigore ætatis constitutus perfectè ratione utitur, affectuumq; impetus sentit. Hic, cujuscunque sit, ultra puerilem ætatis, si ijs imbutus fu-

eric



erit moribus, qui affectus intellectui dominari indicant.

III. Ab Ethices auscultatione non est prohibendus ætate juvenis, nisi simul etiam moribus talis fuerit. Is enim appetitus & rationis pugnam. (dum hæc ad bonum, & honestum, ille ad svave, ad jucundum hominem trahit & allicit.) sentiens, ad rationem juvandum, & appetitum supprimendum institutione morali vel maximè indiget. Moribus autem qui est juvenilibus, frustra præcepta moralia audiet: jam enim captivam tenent rationem affectus, ut & virtutes tali homini sint despectui, nec sanas institutiones, ac doctrinas possit, nisi floecifacere, & irridere; adeoque de nihilo sit, dominium rationis in appetitum, ejusque affectus meditari. Atque talem Philosophus ab institutione Ethica arcendum judicat; eò quòd sit τοῖς πείθεσθαι ἀκολοθητικὸς ideoq; ἀκρατῆς, καὶ ἀνίατος. Et sanè, Ethica cum velut medicina sit quædam animi: certè, quemadmodum in morbos desperatos, qui naturam jamjam vicere, frustra quidquam tentat medicina; percommodè verò, cum morbi & naturæ lucta durat; ita, quamprimum affectus rationem superarunt, medicina Ethica frustra adhibetur; at; dum pugna viger utriusque mutua, hic verò institutione morali opus est; subjectum etiam conveniens, & aptum invenit. Atq; tales sunt quicumque etiam bonæ indolis juvenes.

Corol.

## COROLLARIA.

1. *An Philosophia practica dignior speculativa? Dist.*
2. *An disciplina theoretica discenda ante practicam? Aff.*
3. *Vtra Philosophia prius inventa fuerit? Resp. pract.*
4. *An Physica prius discenda, quam Ethica? Aff.*
5. *An Physica prius inventa, quam Ethica? Disting.*
6. *An Aristoteles sit author librorum Ethicorum ad Nicomach.? Aff.*

F I N I S.



Umg. VI 26

= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17



95.



Συμ θεῶν  
 UTATIONUM  
 THICARUM.  
 I.  
 De  
 CES DEFI-  
 ONE ET NA-  
 CURA,  
 Wittebergensi Academia  
 proposita  
 RÆSIDE  
 OLAO HUNNIO  
 si: Fac.Phil.Adjuncto,  
 SPONDENTE  
 ANGO TSCHÄTERO  
 niensi Pannonio.



WITTEBERGÆ  
 bica Iohannis Gormanni, Anno 1610.



Inches  
 Centimetres

Blue  
 Cyan  
 Green  
 Yellow  
 Red  
 Magenta  
 White  
 3/Color  
 Black

Farbkarte #13

B.I.G.